



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

Art. I. Architectus Christo oppositus Cacodæmon, & eius Assedæ, Qui
Bacchanalia viuunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

ARTICULUS I.

*Architectus Christo oppositus Cacodamon: & ejus affecla,
Qui Bacchanalia vivunt.*



VEM ADMODUM in Militiâ Spirituali duplex est belli Dux & Imperator, Christus & ejus adversarius Lucifer, seu malorum Angelorum Caput, aut Antesignanus, vt, cùm de Militiâ Christianâ differeremus, demonstratum est; ita in Architectonicâ ejusdem denominationis, duplex est Architectus, CHRISTUS, & ejus antagonista SATAN, sive ille vocetur *Lucifer*, sive *Astarothus*, sive *Asmodeus*, sive *Belzebubus*, sive *Bohemothus*, sive *Leuiathan*, sive *Apollyon*, sive *Bacchus*, qui est omnium illorum pater, qui *Bacchantes* appellantur: in Evangelio celebre est nomen *Diabolus*, & communissimum, *Satan*, in Testamento Veteri; in Novo, *Satanas*. CHRISTUS ædificat Domum Sapientiæ; Lucifer, Satan, Bacchus Tabernam stultitiæ. Hunc imitantur, quicumque hoc tempore ex proposito stultescunt ac delirant, & tot ædificant stultitiæ gurgustia, quot suo exemplo ad similem stultitiam incitant, hominum stultissimi, quorum in mundo infinitus est numerus, qui compedibus vincendi essent, & in stultorum hospitale deportandi, ubi tam diu spinis ac urticis, nec non sale essent perfricandi, donec discerent sapere in Bacchanalibus, & stultitiæ ædificationem intermittere. Sic essent idonei, ut Feriâ quarta, quæ sequitur, in capite jejunii, cineribus conspersi cum fructu audirent: *Memento homo, qui pulvis es, & in pulverem reverteris*. Porro, ut Sapiens Architectus Christus sua habet Instrumenta, quibus Domum Sapientiæ extruxit, & inter cætera, Vectem admiran-

admirandæ potentia, qui est Verbum DEI, quo gravissima quæque elevantur, & de loco ad locum transferuntur, ut proximè est explicatum; ita stultus Architectus Cacodæmon, Sapientis Simia, suum habet Vectem, qui idem facere conatur, & se posse profiteretur; immò iactat superbè, se fundamentum Domus Sapientia, quod est magis, quàm Capitolij immobile saxum, immò, quàm Cælum & terra, posse loco mouere, transferre, invertere.

FUNDAMENTVM Domus Sapientia, sunt DEI Mandata, Christi Consilia, Præcepta dominica, quæ in Litteris divinis dicuntur Verba DEI, & sunt magis firma, inconcussa, immobilia, quàm cælum & terra, Christi D. attestatione: *Cælum & Terra transibunt: Verba autem mea non prateribunt.* Matthæi xxiv. Cuius sententia sensus potest esse comparatius, ut alibi doceo (a) nimirum, potius, ocius, facilius cælum & terra esse desinent, quàm verborum meorum vacillet stabilitas. Aut, magis est *admirabile* Verba mea infringi, aut moveri, quàm cælum aut terram: siquidem, ut est apud Isaiam Prophetam, *Verbum Domini manet, subsistit, perseverat, in æternum.* (b)

Quis est ergo ille Vectis, cuius vi movere se posse gloriatur, atque tentat, per se, perque suos, Architectus Cacodæmon? Non est iste vnus, sed multiplex: nam tot eius generis, ac denominationis inuenio, quot sunt Instrumenta, quibus, improbi à Satanâ, edocti, tum aliàs, tum hoc potissimùm Bacchanalium tempore legem divinam, aut Ecclesiasticam à DEO proveniente evertere, à se remouere, & alio longè à se transferre nituntur.

(a) Sandaui in Opusculo *Mundus fallax. Comment. vii.* (b) *Isaia*